manuscript

Seite 21r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ciuitas depicta est ordinant · quando terrene menti temptamenta
Sed iam supernam patriam requirenti · quanta eam in huius
vite tpe viciorum impugnet aduersitas demonstrauit · Nam cum
vnumquoque pctm quomodo proficientibus insidiet · ostendit · qui
obsidio circa ciuitatem ierlm voce predicatoris ordinatur ·
Sed quia non solum debent innotescere qualiter vicia impug
nent · Verum etiam quomodo nos virtutes roborent · Recte
subiungitur · Et edificabis municiones · Municiones quippe
sanctus predicator edificet · quando que virtutes quibus resistat
vicijs demonstrat · Et quia crescente virtute plerumque bella temp
tacionis augentur · recte adhuc additur · Et comportabis ag
gerem · et dabis contra eam castra et pones arietes in giro
Aggerem namque comportat · quando predicator quisque molem
crescentis temptacionis enunciat · et contra ierlm castra
erigit quando recte intencioni audientium hostis callidi
circumspectas fraudes · et quasi irrecomprehensibiles insidias
predicat · Atque arietes in gyro ponit · cum temptacionum acule
os in hac vita nos vndique circumdantes · et virtutum murum
perforantes innotescit · Sed cuncta hoc licet subaliter rector
insinuet · nisi contra delicta singulorum emulacionis spiritu
ferueat · nullam sibi imperpetuum absolucionem parat · Vnde
illuc adhuc recte subiungitur · Et tu sume tibi sartaginem
ferream · et pones eam murum ferreum inter te
et inter ciuitatem · Per sartaginem quippe frixura mentis
per ferrum vero increpacionis fortitudo designatur · Quid
vero acrius doctoris mentem · quam zelus dei frangit et ex
cruciat · Vnde paulus huius sartaginis vrebatur frixura cum
dicit · Quis infirmatur et ego non infirmor · Quis scandalizat
et ego non vror · Et quia quisquis zelo dei accenditur · Ne dampnari
ex negligencia debeat forti et imperpetuum custodia munitur · Recte
dicitur pones eam murum ferreum inter te et inter ciuitatem
Sartago enim ferrea murus ferreus inter prophetam et ciuitatem
ponitur · quia cum nunc fortem zelum rectores exhibent ·
eundem zelum postmodum inter se et auditores suos fortem
municionem tenent · Ne tunc ad vindictam districti sint ·
si nunc fuerint increpacione dissoluti · Sed inter hoc sciendum
est quia dum ad increpacionem se mens doctoris exasperat ·
difficile valde est vt non aliquando et ad aliud dicere quod non
debet erumpat · et plerumque contingit · Vt dum culpa subditorum

custodite